

Salvatorem suum nosse ( quocum post mortem futurus est. ) *Expectat autem non occulte, non trepidus, non solus: sed in conspectu Sanctorum ejus, sine scilicet libera, testimonium expectationis suae, vel sub Sanctorum Coelestium conscientia: non recusans, vel Sanctis omnibus, qui in Terra sunt, in se ipso praebens expectationis exemplum. Nimirum expectat Iustus Beatitudinem conscientia Sanctorum Coelorum, idest conscius & certus, jam alios Sanctos in Coelum deductos Regnare cum Christo. Expectat etiam, ut & alii Sancti nondum Corpore soluti exemplo suo ad spem & expectationem Praemii alacrius excitentur. Tanta autem fide Hilarius inchoatam jam Sanctorum Beatitudinem credit, ut ne judicandos quidem in Judicio novissimo eos credere videatur. Sunt ejus verba Tractat. in Psalm. LVII. num. 7. Quum ergo Sanctus non judicandus sit, qui in vitam sit transiturus a Morte, & Infidelis jam judicatus ad Pœnam sit, intelligitur, in eos reliquum esse Judicium, qui pro gestorum qualitate inter peccata fidemque medii sunt. Iustus post Mortem transfertur statim in vitam Coelestem. Infidelis illico transfertur ad Pœnam: ergo utriusque in Morte Judicium peragitur, Praemio uni, alteri Pœna conlata.*

Denique, ut finem faciam. Tractat. in Psalm. LXIV. num. 5. S. Hilarius hæc scribit: *Omnis, seu omnium, perfectio bonorum, inhabitatio Coelestis est Requies. Multas Mansiones Dominus in Coelis esse testatur: sed Patrem orat, ut Apostoli, ubi & ipse sit, maneant, dicens: Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi ego sum, ibi & illi sint mecum. Ex pluribus mansionibus Apostolis eam, quae sibi est profiria, Communicat. Sic Propheta, quanta Beatitudo sit, in Tabernaculis Dei esse &c. Tandem ait: Beati quidem sunt, qui Jam ad habitandam in Tabernaculis ejus electi sunt. Sed festinare nos in Consortium hujus Beatitudinis congruum est, operationibus id atque orationibus expetentes. Et viva quidem spe: nam, ut idem antea Hilarius monuerat, concludens Tractatum in Psalm. II. Non trepidam spem, neque ambiguan, perfectio Beatitudinis exigit. Fidelis enim est, qui ait: Qui credit in me non judicabitur; sed transiet de Morte ad vitam. En quam disertè affirmet S. Hilarius, in Requie Coelestis habitatio, in mansione Coelesti una cum Christo jam diversari ac stare rectorum Christi Fidelium Animas: quam aperte agnoscat, quanta Beatitudo sit, jam in Tabernaculis Dei esse: quam sollicite nos etiam in terra viventes excitet ad spem istius non retardandæ Beatitudinis, dum in via mandatorum Dei fideliter curramus. Hæc negat Bernetus, hanc spem ille in nobis frangit, aut nobis eripit; festinationem nostram irridet, Hilarium quoque quasi sibi suffragantem inducit: quam immerito, quam parum pie, ne dicam impie, æqui rerum aestimatores perspicere & decernere in posterum, ut spero, poterunt. Eoque propius intelliges, quantum a Berneti visionibus absit Beatus Hilarius, quando is non aliter, atque nos, Apostoli verba est interpretatus. Inquit enim Tractat. in Psalm. cxlii. num. 8. *Velociter exaudi me Domine. Moras Corporis sui Propheta non pa-**